

Sunt ibi nitraria, in quibus & rufum exit à colore terra. Spumam nitri, quæ maximè laudatur, antiqui negabant fieri, nisi cum ros cecidisset, prægnantibus nitrariis, sed nondum parientibus. Itaq; non fieri incitatis, etiam si caderet. Alii opemimentorum fermento gigni existimaverunt. Proxima atas medicorum Aphronitrum tradidit in Asia colligi in speluncis mollibus distillans, specus eos calycas vocant: dein sole siccant. Optimum putant Lydium. Probatio, ut sit minimè ponderosum, & maximè friabile, colore penè purpureo, hoc in patellis affertur, Aegyptium in vasis picatis, ne liquecat. Vasa quoque ea sole inarescentia perficiuntur. Nitri probatio, ut sit tenuissimum, & quàm maximè spongiosum, fistulosumq; adulteratur in Aegypto calce. Deprehenditur gustu: syncerum enim facillè resolvitur: adulteratum pungit. Calce aspersum, reddit humorem vehementem: hæc Plinius. Ex quibus liquidò constat, nostri usus Sal nitrum, antiquorum nitrum non esse, et si inficias eundem non sit, quin aliquas nitri habeat qualitates. Veruntamen nemini unquam persuasum velim, ut medicamentis, quæ intus in corpus sumuntur, nitri loco Salnitrum absq; noxa imponi possit. Et quamvis contrarium asserant, scriptisq; tradant Monachi illi reverendi, qui Mesuem commentati sunt, non tamen credo, hoc id prius in se ipsis expertos esse. Quod nihilominus eos facere decebat, si fraterna charitate ducti sunt, ut alius suaderent sal nitrum tutò assumi posse, cum prima charitas (quod dictum frequenter usurpant) incipiat à se ipso. Nitri legitimi frustum, quod à Gulielmo Quacelbeno Flandro Constantinopoli mihi missum est, notis omnibus genuinum refert, ut in epistolarum nostrarum libro fuimus diximus. Nitri meminit Galenus lib. 9. simpl. medicamentorum, sic inquit: Nitrum dictum est supra in medio esse aphronitri, & salis virium: ceterum ustum propius ad aphronitrum accedit, utpote exustione tenuius redditum. Desiccatur itaq; & digerit: & si intus in corpus sumatur, secatur, & extenuatur crassos lentosq; succos potentius multò quàm sal. Aphronitrum verò nisi gravis urgeat necessitas, nemo devorabit, nimirum inimicum stomacho: quandoquidem plus etiam litro incidit. Sanè ad fungos suffocantes, rusticus quidam eo uti assolet, & semper profuisse probatum est. Ceterum nitro ustò simul & non ustò, & multò etiam magis ejus spuma, & nos in talibus uti consuevimus: hæc Galenus. Qui tamen videtur in, qui codicis mendam non animadvertunt, maximam facere differentiam inter Aphrolitrum & Aphronitrum, licet hæc re diversa non sint. Nam ubi de Aphrolitro libro citato differit, vulgata exemplaria habent: ἀφρολίτρον ἀφρονίτρον ἀφρονίτρον, hoc est: Aphrolitrum ab aphronitro differt. Verum in altera dictione latet vitium, ut quæ ἀφρολίτρον, hoc est, à spuma nitri, duabus vocibus legenda sit. Ita fiet, ut Galeno non aphrolitrum ab aphronitro, sed nitrumq; à spuma nitri aptè distinguatur. Id quod & Augustinus Ricchus Lucensis, & Leonardus Fuchsius, medici atatis nostræ celebres, doctissime adnotarunt. Ceterum cum Galeno aphrolitrum, sive aphronitri spuma nitri non sit, quid aliud sit ingenuè fateor me ignorare: neq; id aliud, quod sciam, hæcenus explicavit. Quod Græci ἀφρολίτρον & ἀφρονίτρον, Latini Nitrum nominant: Mauritanii, Baurach: Itali Nitro. Quod verò Græci ἀφρολίτρον uno verbo dicitur: Arabibus, Baurach Africe: Italis, Nitro di Africa. Quæ deinde Spuma nitri Latine, ἀφρονίτρον ἢ ἀφρονίτρον Græcè vocatur: Arabice, Aphronitrum.

Moda-
chorum
error.

Nitri, &
aphroni-
tri vitæ
cā Gal.

Nomina

30 Tg. F. X. CAP. XC.

ELigenda Fæx maximè è vino vetere, Italico: sin minus, ab alio consimili. Fæx aceti viribus longè acrior est. Crematur, ut alcyonium, antè diligenter siccata. Sunt qui nova testa igni largo urant, usquedum penitus incendatur. Alii vivis carbonibus fæcis glebam obruunt, & idem opus prosequuntur. Experimentum est legitimæ ustionis, ut aerio nitore inalbescat, linguamq; tactu urere videatur. Eadem urendæ fæcis aceti ratio. Vis ei supra modum urens, & abstergens: ulcera ad cicatricem perducit, adstringit, vehementer exest, siccaturq; sed recenti utendum est, quoniam celeriter exanimatur: proinde non nisi in reconditorio, & vase aliquo reponi debet. Lavatur ut pompholyx. Quæ ustionem experta nō est, tumores & per sese, & cum myrto cohibet: ventris stomachiq; fluxiones illita sistit: muliebri profluvium imo ventri, aut genitalibus imposita mitigat: panos discutit nondum exulceratos, & tubercula: rigentes mammas, suiq; lactis impatientes, cum aceto peruncta extinguit. Cremata verò, ungues scabros cum resina aufert. Addito lentiscino oleo, illita nocte tota, rufat capillum. Elota oculorum medicamentis, ut spodos, adjicitur: cicatrices eorum, & caligines eadem abstergit.

Fæx vini vulgaris notitia est, quin & ipsius adurenda ratio nota, iis præsertim, qui ex hac alumen, quod vocant facis, faciunt. Porro vini recrementum, quod vinarii cadis agglutinatum, crusta lapidosa instar invenitur, officinarum vocabulo Tartarum vocatum, alvum non obscure subducit. Proinde non desunt, qui sibi adstrictam alvum citent, hausto tartari pulvere ex gallinaceo jure, addito mastiches momento, & saccharo: nihil enim incommodi adfert hac ratione paratum. Additum in dejectione diluta, quæ ex sena, vel polypodii radicibus, vel epithymo parantur, vim eorum dejectionem adauget. Sunt qui album Tartarum faciunt, diu ipsum in aqua decoquentes, atq; subinde desumantes. Tergit sic Græcè, Latine verò Fæx dicitur: Arabice, Durd: Italice, Feccia: Germanice, Hefen/Weinstein: Hispanice, Rasura de vino.

Fæcis, &
tartari
dicti cō-
sideratio
& vitæ.

Nomina

Asiæ. CALX VIVA. CAP. XCI.

Calx viva hoc modo fit. Marinorum buccinorum testas igni candito, aut ferventi clibano nocte dimittito: postera die, si candidissimæ fuerint, extrahito: sin aliter, iterum urito, usquedum vehementer inalbuerint. Dein ubi in aquam frigidam demersæ fuerint, in fictile novum conjicito, & exactè panis operiens, noctem unam conquiescere finito: manè eam extrahens, ubi perfectò omni opere elaborata fuerit calx, recondito. Fit & è litoralibus calculis igne crematis, necnon è vili & fusaneo marmore, quæ cæteris præfertur. Vis omni calci in commune ignea, mordens, adurens, & crustas inducens: quibusdam aliis immista, ut adipi, oleo concoquendi vim assumit, mollit, & dissipat: ulcera ad cicatricem perducit. Efficacior existimatur recens, nec aspersa aquis.

Calx, cujus passim usus ad edificiorum muros struendos, nota omnibus est. Præter hanc fit etiam privatim ad varia medicamenta è purpurarum, buccinorum, cochlearum, ostreorum, ovorumq; testis. Non desunt tamen, qui etiam eam qua fit ex calcario lapide, unguentis, & emplastris admisceant, eam primum demergentes in aquam, usquedum prorsus dissiliat, ac subinde lavantes diebus pluribus, affusa sæpius recenti aqua pluviali, vel fontana. Valet enim sic elota ad consummata

contumacia ulcera, quod absq; morfu valenter siccet. Ob id itaq; unguentis expetitur, quibus utuntur ad pudendorum ulcera, eaq; praesertim, quae venerea lue contrahuntur. Quinetiam prodest ad ambusta, & alia, quae non facile curationem admittunt. Sunt etiam qui extingunt prius calcem, lavent deinde diutius rosarum stillatitia aqua, ita valentius effici medicamentum existimantes. Calcis vires descripsit Galenus li. 9. simpl. medicamentorum, his verbis: Calx, viva quidem quae & ὀβεῖς & Gracè dicitur, vehementer urit minusq; inducere crustam potest. At verò temporis progressu prorsum nec crustam quidem gignit, tamen si etiamnum calfaciat, carnemq; liquet. Porro si lavetur in aqua, suam mordacitatem exuit, efficitq; nuncupatam novissimè, hoc est lixivium: at ipsa absq; morfu resiccat. Ac si bis, terq; aut amplius abluta fuerit planè mordacitatis expers constituitur, ac strenuè absq; mordacitate exiccat. Calx viva Latinis dicta, & ὀβεῖς & Gracis appellatur: Arabibus, Horach, Nura, seu Nure: Italis, Calcina viva: Germanis, Ungeleschter Kalk: Hispanis, Ca.

Calcis vi-
res ex
Gal.

Nomina.

ῥόψ.

GYPSUM.

CAP. XCII.

Gypsum vim habet adstringendi, obstruendi: sanguinis eruptiones, sudoresq; cohibet: sed potum, strangulationis modo jugulat.

Gypsi
hilt.

Gypsi vi-
res ex
Gal.

Nomina.

Gypsum quid sit, nemo est qui nesciat. Abundat gypso universa fere Hetruria, ibiq; commodè frequenterq; expetitur cementarius ad aedium fabricas. Fit gypsum è quodam candido lapide, in laminas facile scissili: qui tamen non longa ignium vi torretur, & excoquitur. Quandoquidem in calenti furno coniectus, quatuor, aut ad summum quinque horarum spatio perurit. Tunditur deinde in pulverem, & incerniculis excutitur. Praestantissimum est recens: nam diu asse-
vatum, aquae immissum agere lapidescit, ac coit. Fit etiam Gypsum è speculari lapide, qui Gracè ὀβυδρὶς dicitur. Item ex
alio quodam lapide nivei candore, è quo in Hetruria torno patinae, & alia vasorum genera conficiuntur. Hunc alaba-
strum appellant, sed perperam. Gypso vires reddidit Galenus li. 9. simpl. medicamentorum, ita differens: Gypsum & ipsum
ad communem omnium terrenorum, lapidosorumq; corporum facultatem, qua desiccare dicta sunt, insuper hoc ad jun-
ctum habet, quod est facultatis emplastica. Unitur enim ipsum ad sese, & cogitur, lapidescitq; maceratum. Quamobrem
siccis medicamentis, quae ad sanguinis eruptionem accommodantur, commiscetur. Nam ipsum per sese lapidosum fit, &
durum coactum, ac congelatum: proinde rigare, diluereq; illud excogitavi, tenui alboq; ovi liquore, quod ad ophthalmias
utile est, admixto quod in farina triticea est pulvis tenuissimus, qui in parietibus molendinorum residet. Excipere verò,
quod sic subactum est, renellus leporis pilis, aut qui perinde sunt molle, expedit. Gypsum combustum non aequè emplasticam
vim habet: ceterum tenuiorum est partium, & valentius desiccatur. Quin & repercussorium est, maximè si maceretur oxy-
crato. ῥόψ & ita Gracis, ut Gypsum pariter Latinis appellatur: Arabibus, Gypsum, seu Giepsin: Italis, Gesso: Germanis,
Gyps: Hispanis, Teso, & Alger.

Τίππα ἀλυστική.

SARMENTITIUS CINIS.

CAP. XCIII.

Sarmentorum cinis urendi vim habet: cum axungia autem, vel oleo illitus, fractis nervis articulorum collisionibus, & nervorum nodis prodest: cum nitro, & aceto excrescentias carnis in scroto reprimat. Serpantium, canumq; moribus illitus ex aceto medetur: crustas obducentibus medicamentis admisce-
tur. Fit ex eo lixivium contra praecipitationes, & fungorum venena, cum aceto, sale, & melle.

Cineris
omnis
vires ex
Gal.

Nomina.

Cinis omnis quid sit notius est, quàm ut pluribus explicari debeat, quare ad ejus vires properemus: de quibus in univer-
sum differens Galenus li. 8. simpl. medicamentorum sic inquit: Cinis combustorum lignorum reliquia sic nuncupan-
tur, composita ex contrariis tum qualitatibus, tum substantiis. Habet enim in se partim terrenum, partim velut fuliginos-
um, quod Gracè dicitur αθαλodes, sive lygniodes, sive quomodocunq; quis appellare volet: atq; haec sane partes sunt te-
nues, & quae maceratis aqua cineribus, & percolatis, una asportantur, atq; abeunt. Quod verò reliquum est, terrenum
est, infirmum, & morfu carens, calida facultate in lixivium deposita. Sed non omnis cinis eadem temperatura praeditus
est, sed pro combusta materia diversitate variatur. At nescio quo pacto Dioscorides omnes cineres adstringendi habere
vim prodiderit, cum siculneus ejusmodi omnis qualitatis sit expers, utpote cum & ipsa arbor nulla sui parte acerbam qua-
litatem praeferat, ceu quercus, ilex, arbutus, fagus, lentiscus, hedera, & hoc genus alia: verum plena succo valido tora
fit, eoq; acris & calido. Ergo ex acerbis utiq; lignis factus cinis, non parum adstringit: meminiq; me quandoq; cum ali-
ud ad manum non esset medicamentum, per hunc sanguinis suppressisse eruptionem. Verum nullus unquam ad tale uti si-
culneo audeat, siquidem hic acrimonia multum, adurentisq; facultatis obtinet, miste abstersioni: & utroq; differt ab eo,
qui ex quercinis lignis conficitur, tum quod in eo fuligineum multò est acrius, tum quod in illis terrenum quodammodo
subadstringens est, in hoc abstergens, velut in cinere titimalorum. Est & calx cineris quaedam species, ceterum tenuioris
essentiae, quàm qui ex lignis fit, nimirum quando lapides exactius torrentur, ut cinis fiant, possulant: non tamen multum re-
liquum in se habet, velut natura ignea, quod vocant ἰαμβόγιννα. Proinde elota medicamen est citra morsum desiccans,
magisq; si bis terve lavetur. Ceterum si marina aqua abluta sit, admodum digerit. Dicitur porro de ea, ubi de metallicis
sermo habebitur. Τίππα Gracè dicta, Cinis Latinè vocatur: Arabicè, Chamad, sive Ramed: Italicè, Cenere: Germanicè,
Aschen: Hispanicè, Ceniza: Gallicè, Cendre.

Ἀλκυόνιον.

ALCYONIUM.

CAP. XCIV.

* Orib.
addit eam
ἀλκυόνιον
i. fistulo-
sum.

Alcyonii quinque esse genera compertum est. Unum enim spissum, acerbi saporis, spongiosa facie,
item tetri odoris, ponderosum, & piscem olens, quod plurimum in litoribus invenitur. Alterum
pinnulae oculorum, aut spongiae simile, fistulosum, & laeve, odorem algæ referens. Tertium vermiculi
forma, & colore magis purpureum, a quod Milesium quidam vocant. Quartum succidis velleribus non
dissimile, multis inanitatibus hians, leve. Quintum figura fungi, sine odore, asperum, parte interna quo-
dammodo pumicosum, foris laeve, acre, quod plurimum in Propontide juxta insulam Besbicon appel-
latam gignitur, patrio nomine halos achnen vocant. Duo priora in foeminarum smegmata assumun-
tur, contra lentigines, lichenas, lepras, vitiligines, nigritias, & maculas in facie, reliquoque corpore.
Tertium

Tertium iis, qui difficili urina vexantur, aut arenulas in vesica colligunt, idoneum est: item renibus affectis, aque inter cutem, lieni. Ustum autem, & ex vino illitum, alopecias replet. Postremum dealbandis dentibus aptum est: in alia sinegmata, psilothraq; assumitur, cum sale mistum. Si quisquam alcyonium cremare velit, cum sale in crudum fictile mittat, & oblinens vasis spiraculum luto, ita fornaci mandet, & cum figlinum percoctum fuerit, extrahens ad usus recondat. Lavatur ut cadmia.

* ALCYONIUM.*

Alcyonium (ut Plinius est author lib. 32. cap. 8.) fit in mari ex nidis, ut aliqui existimant, alcyonium, & caicum: alii ex sordibus spumarum crassescens: alii è limo, vel quadam maris lanugine. Quatuor ejus genera: Cinereum, spissum, odoris asperi. Alterum molle, lenius, odore ferè algæ. Tertium candidioris vermiculi. Quartum pumicosius, spongia putri simile, penè purpureum: quod optimum, hoc & Milesium vocatur. Quod autem candidius, hoc minus probabile est: hac Plinius. Qui tamen quintum fungi figura, cujus meminere Dioscorides, & Galenus, silentio praterit. Sunt præterea, qui Alcyonium ita appellari tradant, non quod ex alcyonium nidis fiat, ut Plinius scribit, sed quod alcyones super illud marinus undis simul congestum nidificent: quorum sententiam magis probandam censemus. Alcyonium officina Spumam maris vocant: quod sic idem vocent Arabes, Dioscoridem secuti, quippe qui scripserit quintum Alcyonii genus in Besbico halos achnen, hoc est, maris spumam vocari. Cæterum rufum Alcyonium corallii instar, coacervatis in globum veluti vermiculis, lapidosaq; materie, Venetiis primùm vidimus. Quartum verò reperimus copiosum in Tergestino litore velleribus simillimum, album, ac levissimum. Piscatores hoc cochlearum marinarum, quæ aculeis rigent, & vulgò appellantur Garuse, nidum esse affirmant. Primum, & ultimum genus pluribus in septasii invenitur. Porro in hoc capite in vulgatis Dioscoridis exem-

Alcyonii
hist. &
confid.Spuma
maris of-
fic.Locus
Diosc.
suspectus.Alcyonii
vires ex
Gal.

Nomina.



plaribus nonnulla (ut planè suspicor) verba desiderantur, cum de viribus quarti alcyonii nihil in his scriptum legatur. Auger suspicionem Oribasius, cujus lectio hoc loco habet: τὸ δὲ τέταρτον, ὡς ὁ γὰρ, hoc est: quartum & postremum &c. Idem confirmat Serapio, qui ex Dioscoride transcribens utriusq; speciei meminit. De Alcyoniis disseruit Galenus lib. 11. simplicium medicamentorum, his verbis. Alcyonia omnia detergant, ac digerunt, qualitatem habentia acrem, & calidam facultatem: verum aliud alio non parum plus minusq; & in his ipsi, quæ diximus, secundum partium essentia totius tenuitatem. Est autem eorum unum densum, & grave, odoris pravi: oler enim pisces putres, spongia in specie simile. Secundum verò aliud figura longiore, leve, & rarum: odorem habens similem phycis. Aliud tertium vermi simile est specie, colore purpureo, consistencia molli, vocant id Milesium. Post quæ quartum secundo quidem jam posito similiter & leve, & rarum, verum lanis succidis simile. Deniq; & quintum extima superficie levi, cæterum interna substantia asperum, nullius odoris, gustu tamen apparens acre: & sanè omnium alcyoniorum est calidissimum, adeo ut & pilos urere possit. Itaq; cum duo prima lichenas, alphas, psoras, leprasq; adjuvent, præterea cutem splendidiorem competentia virium efficiant, idem præstare non potest hoc ultimo loco positum. Nec enim perinde ut illa, cutem duntaxat summam extergit, sed etiam excoriat, usq; in profundum cutis penetrans, ut etiam ulcera molitur. Porro quod tertio ordine recensimus, omnium est tenuissimum. Itaq; ustum alopecias curat illitum cum vino, colore quidem fulvo, tenui tamen essentia. Quartum autem ejusdem cum hoc speciei vires obtinet, verum haud parum imbecilliores. Quod Græci ἀλκυόνιον, Latini quoq; Alcyonium dicunt: Arabes, Zebotbalbahar, seu Zebdalbahar: Itali, Alcionio.

A. Adarces.

ADARCES.

CAP. XCV.

Est in Cappadocia, quod adarces appellatur. Est autem tanquam concreta falsilago, humidis & palustribus locis siccitate emergens, & arundinibus, ac herbis agglutinata, colore flori lapidis Asii similis, & omni forma molli alcyonia, & aliquantum cavo proxima, ut videri possit lacustre alcyonium. Ad evellendas lepras, lentigines, lichenas, & vitia curis in facie, similia, accommodatur. Et in summa vis ei acris. Humorem evocat, qui in alto concrevit, & ischiadicis prodest.

Legitimam Adarcem, quæ Dioscoridis, & Plinii placitis respondeat, hæcenus non vidimus, etsi in Italia nasci tradidit Plinius lib. 16. cap. 36. Quam postea lib. 32. cap. 12. vocavit calamochnum, sic inquit: inter aquatilia dici debet & calamochnum, Latine adarca appellata. Nascitur circa arundines tenues, è spuma aquæ dulcis ac marinæ, ubi se miscent. Vim habet causticam, ideo acopis additur contra perfrictionum vitia: hæcenus Plinius. Porro verò eos hallucinari crediderim, qui sibi persuadent id esse Adarcem, quod vulgò Italia dicitur Palla marina. Siquidem hæc in mari tantum nascitur, non in paludibus aquæ dulcis: & ibi non arundinibus, neq; herbis inherens visitur, sed in sicco reperitur litore, undis simul cum alga projecta, pilæ omnino similis, quæ in lactentium hædorum ventriculis, ex exuctis una cum lacte pilis, plerumq; reperitur. Adde quod hæc, quantum gustaverim, nec acris, nec caustica (ut Plinius inquit) deprehendatur, neq; etiam quod sciam, in paludibus inveniatur. Hujus tamen meminit Galenus libro primo de compositione medicamentorum secundum locos, referens quæ Crito ad conservandos, augendos, itemq; a defluvio præservandos capillos scripsit. Vbi cum interpres Cornarius, vir alioqui doctissimus, ignorasset quid Critoni & Galeno intelligeretur per σπῆρα καὶ θάλασσιον, forte suspicatus, locum hunc in Galeno esse depravatum, spongiam marinam perperam interpretatus est: quandoquidem lectio illa vera est, & vertendum erat pilam marinam. Id quod etiam Fuchsius doctissime adnotavit in suis de compositio. med. libris. Marinam pilam addit Nicolaus Myrepsicus in quodam unguento ad lumbricos, ubi sic habet: Pila marina, quæ

Adarcem
confid.
Calamo-
chnum.Palla ma-
rina.Pilæ in
hædoru
ventricu-
lis.
Cornariu
lapius.

reperi-

LIII 4

dictum. Glutinabit siquidem ea similiter atq; medicamenta qua vocant enama. At si non nova sit, sed usui accommodata, palam cognoscet, quantum à nova superetur, siue vulneribus eam imponas, siue aqua proluens siue oxycrato siue vino. Nec mirum est, cum in spongia nova servetur etiamnum ea, quam à mari accepit, facultas modicè corpora exsicandi. Atq; hac quidem prestare potest, cum etiamnum servat maris odorem. Nam temporis spatio, etiamsi nunquam usui accommodata sit, tamen & odorem maris amittit, neq; aquè desiccari potest. Spongia qua Latine σπγγη Gracè dicitur: Nomina Arabice, Asfemgi albari seu albar: Italicè, Spongia: Germanicè, Wadschwam: Hispanicè: Spongia: Gallicè, Esponge.

Κοράλλιον.

CORALLIUM.

CAP. XCVII.

10

Corallium, quod aliqui lithodendron appellarunt, marinum esse fruticem constat, qui alto extra-
ctus, duratur statim atque emergit, tanquam offuso aere protinus concrescat. Plurimum invenitur
ad Syracusas, in promontorio, cui Pachyno nomen est. Laudatissimum rubens, colore antherici, aut fan-
dycis saturatae, nec secus terenti facile cedens, æquabili usquequaq; concremento, rursus algæ, aut phu-
ci marini odore, quam ramofissimum, forma fruticis, cinnamomi æmulum. Quod autem in lapidis du-
ritiam coit, scrupulosum, inane, & lacunosum, vitiosum existimatur. Adstringit, & refrigerat mediocri-
ter: excrescentia coercet: oculorum cicatrices abstergit: ulcerum cava, & cicatrices explet. Contra fan-
guinis reiectiones magnopere efficax est: urinæ difficultati auxiliatur. Quin & potum ex aqua lienem
absumit. † Quod anthipathes vocant, corallium esse arbitrantur, specie tantum distans. Est autem colo-
renigro arboris figura, ramofum magis. Vires supradictas habet.

† Dra.
σπγγη
κοράλλιον
ανθιπάθη
καυκασία
κοράλλιον
i. Quinto
etiam
praeter-
vata ve-
neus, &
omnium
malorum
depulfor
est.

* CORALLIUM ALBUM ET
rubrum. *




30

40

Corallium, quo usq; adeò abundat Italia, ut ferè nulli ibi reperiantur infantuli, nullaq; puella, quibus non gestentur
Coralli monilia aut collo, aut brachia suspensa, quo item utuntur feminae in templis ad suas preces numerandas, ex
Tyrrheno, & Siculo mari extrahitur, atq; inde ad nos deferuntur. Caterum etsi rubri tantum, & nigri meminerit Dio-
scorides, reperitur tamen quod nivei sit candoris in iudem pelagus, non autem ut rubrum compactum, ponderosumq; sed
levius ac rarius, & spongiarum modo inane. Creditur hoc rubro longe magis refrigerare: proinde eo utuntur medici, ubi
opus est maiore refrigeratione. Coralli meminit Plinius libro trigesimo secundo capite secundo, ubi de eo ita scriptum reli-
quit. Quantum apud nos Indici margaritis pretium est tantum apud Indos in corallo: namq; ista persuasione gentium
constant. Gignitur quidem & in rubro mari, sed nigrus. In Persio vocatur Face. Laudatissimum in Gallico sinu, circa
Stæchadas insulas, & in Siculo, circa Heliam, & Drepanum. Nascentur & apud Graviscas, & ante Neapolin Campaniæ,
maximeq; rubens, sed molle, & ideo vilissimum Erythris. Forma est ei fruticis, color viridis. Bacca ejus candida sub aqua,
& molles, exempta confestim durantur, & rubescunt, quasi corna sativa, specie, atque magnitudine. Ajunt tactu pro-
tinus lapidescere, si vivat. Itaq; occupari, evelligi, retibus, aut acri ferramento praeclidi: hac de causa corallium voca-
tatum interpretantur. Probatissimum quam maximè rubens, & quam ramofissimum, nec scabrosum, aut lapideum, vel
rursus inane, aut concavum. Authoritas baccarum ejus non minus Indorum viris quoq; pretiosa est, quam famini no-
stri uniones Indici. Aruspices eorum, vatesq; in primis religiosum id gestamen amolendi periculum arbitrantur. Itaq;
& decore, & religione gaudent. Galli gladios, scuta, galeas adornabant eo, nunc tanta penuria est vendibili merce, ut
perquam rarè cernatur in suo orbe. Surculi infantie adalligati, tutelam habere creduntur hac Plinius. Quem tamen mi-
rari subit, quòd tam facile sibi persuaserit, corallum per se baccas ferre, quasi corna sativa specie atq; magnitudine, per-
inde ac cetera arbores suos proferunt fructus. Quandoquidem, ut fatentur ij, qui corallia expiscantur, & iis mercaturam
exercent, nullas per se baccas edunt. Bacca enim, quæ in coralliorum monilibus, cornis ac cerasis similes visuntur, ex ipso-
rum truncis torno, & lima prius parantur: mox in yridis lapidis pulvere, & terra quadã, quæ à Tripoli Africæ adfertur, ex-
poliuntur,

Plinii la-
psum.

* CORALLIUM NIGRUM
Dioscoridis. *Corallium
nigrum.Corallii
faculta-
tes.

poliuntur, & lucidum lavorem contrahunt, cum in diutius fri-
cantur. Ad hac Corollia e mari circumquaq; muscosa eximuntur,
nec tunc ulla ex parte rubescunt, verum inde artificibus
tradita, deaso cortice rubent, & perpolita nitescent. Nigrum
Corallium, quod Dioscorides Antipathes vocari ait, primum vi-
di ego Neapoli eburnum colore referens. Atqui posthac pulcherrimam
ejus plantam dono mihi dedit Anzianus quidam, qui
quotannis mihi plantam e Gardano Apulia monte asferre solet.
Ea enim prope radices brachii serè crassitudinem aequat, & à
medio trunco in ramos sese diffundit: res quidem visu digna,
& rara. Corallium comitialibus commodè adalligatur, hauri-
endumque prabetur. Corallium, ades (ut ajunt) à fulmi-
num injuria tuetur. Idem mensum abundantiam cohibet, den-
tes commotos firmat, desquamatas gingivas emendat, itemq;
oris ulcera sanat. Potum dysentericos juvat, seminis profluvium
in viris, nocturnasq; pollutiones, & in mulieribus albos uteri flu-
ores reprimat. Recensetur inter ea (Avicenna teste) quae cordi
hilaritatem adferunt. Auxiliatur praeterea (ut Plinius inquit)
contra torminum ac vesicae calculi mala in pulverem igne re-
ductum, & cum aqua potum. Simili modo ex vino potum, aut
si febris sit, ex aqua somnum conciliat: ignibus diu repugnat.
Sed eodem medicamine saepius potio, tradunt lienem quoq; absumi.
Sanguinem rejicientibus aut excreantibus medetur. Cinis
ejus miscetur oculorum medicamentis: spissat enim ac refrige-
rat, ulcera cava explet, cicatricesq; extenuat. Corallii memi-
nisse Galenum in libris legitimis de simplicium medicamentorum
facultatibus, haecenus non reperi: tamen si libro septimo de
compositione medicamentorum plura describat medicamenta
ad incipientem phthisin, haemopticos, & suppuratos, quae co-
rallium excipiunt. Quod Graeci κοράλλιον & κόραλλιον, La-
tini Corallium nominant: Mauritanii, Bassad, Meygen, Besad,
sive Morgian: Itali atq; etiam Hispani, Corallio: Germani,
Corallen: Galli, Coral.

Λίθος φρύγιος.

LAPIS PHRYGIUS.

CAP. XCVIII.

PHrygius lapis, quo infectores in Phrygia utuntur, à qua nomen accepit, nascitur in Cappadocia. O-
ptimus habetur pallidus modicè gravis, non solida corporis compage, intercedentibus albis segmen-
tis, ut in cadmia. Uritur autem vino optimo perfusus, vivisq; carbonibus obrutus: perflatur assidue fol-
libus, donec mutato colore rufescat: rursus extractus eodem vino restinguitur. Hoc iterum, & trinis vi-
cibus faciendum: attendendum tamen ne minutim confringatur, & in fuliginem evanescat. Vis crudo,
ustoque adstrictoria, expurgans: ulceribus crustas quadantenus inducit: ambustis cum cerato mede-
tur. Lavatur ut cadmia.

Phrygii
lapis
confid.
Phrygii
lapis
vires ex
Galeno.

Qui mihi Phrygium lapidem ostenderit in Italia, haecenus neminem inveni: quippe cum nec nostratibus Medicis, nec
lanarum infectoribus, usui, ex Cappadocia ad nos deferri desit. Plinius, cum ignorasset, Phrygium lapidem medica-
mentis etiamnum expeti, tingendis tantum vestibus commendavit. De hujus lapidis viribus disseruit Galenus libro 9. sim-
plicium medicamentorum, his verbis. Pyritae facultatem habere existimatur & Phrygius, quem vocant. Sed eo semper
utor combusto quidem ad ulcera putrida, idq; aut ipso per se aut ex aceto, aut ænomelite, aut oxycrato: ad oculos verò
medicamentum siccum efficiens: quod multi nunc acceptum à me obrinent. Miscetur ei & alia quapiam. Dicitur au-
tem de ipso in opere de componendis pharmacis. Nunc satis est de generali ejus facultate explicuisse: validè enim desiccatur,
habens quiddam adstrictionis simul & mordicationis. Dictum verò superius est, ea esse omnia optima medicamina, pluri-
mèq; usus, quae mistas in sese hasce duas facultates habent, nempe repercutientem, & digerentem. Λίθος φρύγιος. Gracis,
Lapis Phrygius Latinis appellatur: Italis, Pietra Phrygia.

Nomina.

Λίθος άσιος.

LAPIS ASIUS.

CAP. XCIX.

60

ASius lapis assumi debet pumicis colore, levis, fungosus, item friabilis, scissiles venas lutei coloris ad-
imum actas habens. Ejus flos salfugo subflava est, summo lapide infidens, compage tenui, colore
in aliquibus albo, in aliis pumici simili, ad luteum vergente: admotus linguae aliquantum mordet. Vim
habet uterq; adstrictoriam, & modicè erodentem. Admixtus liquide pici, aut terebinthine, tubercula di-
scutit. Longè validior flos existimatur. De cetero siccat flos vetera ulcera, & cicatrici repugnàtia sanat:
excre-

excreſcentia, cohibet: tetra ulcera, & fungis ſimilia, cum melle expurgat: ulcerum cava explet, & expurgat cum melle: depaſcentiaque cum cerato liſtit. Fit cataplaſma ex eo podagris, miſto fabæ lomento: & lien oſis ex aceto, & viva calce. Prodeſt ſlos ex melle phthiſicis linctus. Podagrici juvantur, pedibus in folio ex eo lapide excavato inditis. Fiunt quoque ex eo loculi, qui corpora erodunt: & luxuriantem carnem & corporum craſſitiem abſumunt, cum vice vitri in balneo ſparguntur. Si lavare libet, cadmia modo lavatur.

Tametsi in commentariis nostris superioribus annis Italica lingua conscriptis, Asium lapidem mihi incognitum esse ingenue confessus fuero: legitimum tamen nuper Tridento ad me misit Martinus Guidottinus seplasiarius diligens ac peritus: qui quidem lapis, ni fallor, nullis prorsus notis ac viribus Dioscoridis descriptioni reclamatur. Foditur in Tridentino agro quibusdam chalcantibi fodinis, quodam in monte non procul a pago, quem Levigum nominant. Est enim hic pumicis instar levis, fungosus, friabilis, lutei coloris intercurrentibus venis. Hoc, quod carnes absumat, utebatur antiquitas ad defunctorum sepulchra, ut absumptis ab eo carnibus, corpora non computrescerent: ob idque Græci appellare sarcophagum. Quod manifeste declarat Dioscorides, cum inquit, *ὅτι οὗτος σαρκὸς φάγοι*, id est, loculi defunctorum carnes absumentes ex eo fiunt. Hunc locum nullus, quod sciam, ex interpretibus ita ut nos accepit: sed omnes ad aliud respicientes vocem σοῦν pulverem verterunt. In quo mihi plane non videntur mentem Dioscoridis affecit. Quam probe affecit, nos strag, sententia ad stipulari cognoscitur Plinius lib. 36. cap. 17. ubi de lapide Asio sarcophago ita scribit. In Asio Troadis lapis sarcophagus fissili vena scinditur. Corpora defunctorum condita in eo absumi constat intra quadragesimum diem, exceptis dentibus: hac Plinius. Ceterum Asii lapidis historiam, & vires descripsit Galenus lib. 9. simpl. medicamentorum, sic in-
 20 quens. Est & alius lapis in Asso proveniens, quem ob id ipsum Asion cognominant, non durus ut petra. Siquidem color illi est, pariterque consistentia centopbi, friabilis, & laxis. Innutritur ei quiddam farina tenuissima ad simile, qualis in pistri-
 30 norum parietibus adhaere visitur. Appellatur hoc medicamen petra Asia florem. Est vero & subtilium partium, ut sine morſu nimis molles carnes, ac fluidas eliquet. Petra vero, in qua nascitur, tametsi vim habeat illi similem, actionis tamen vehementia inferior est. Hoc enim ea potior est flos, non tantum quod magis colliquet, ac digeratur, & velut sale condita ſervet, sed & quia hac præſtet abſque vehementi mordicatione. Habet & ſalſedinem quandam in guſtu hic Asia petra ſlos: ut conjectura ſit, illum naſci ex eo quod res ex mari in petram reſidens poſtea à ſole deſiccetur: hæc enim Galeni verba. Quæ
 quidē ſi paulo diligentius examinaret Fuchſ, medicus alioqui noſtra ætate celebris, nō tam facile ſortæ ſuam protuliſſet ſententiam libro de compoſitione medicamentorum: quod ſcilicet Asia petra ſlos ſit illa mollis, alba, & tenuiſſima materia, quam farina, qua parietibus molarum inhaeret, ſimilem exudant veteres muri, rupes ſaxaque montium, ex qua ſit
 30 quod Salnitrum vocant. Porro quod hæc non verè ſit Asii lapidis ſlos, omnibus iis perſpicuum fiet, qui rem hanc accuratius expendunt. Nam præterquam quod ea diverſorum lapidum ſlos eſt, nullam habet cognationem cum Aſio lapide, qui ſolus, Dioscoridis & Galeni teſtimonio, ſlorem ſui nominis gignit. Lapis, qui *λίθος ἄσιος* & *ἀσιός* Græcè, Lapis Aſius & Aſius Latine vocatur: Arabicè, Hager Aſos: Italicè, Pietra Aſia.

Asii lapi-
dis coſid.

Asii lapi-
dis hiſt. &
vires ex
Gal.

Fuchſ, er-
tor.

Nomina,

λίθος πυρίτης.

LAPIS PYRITES.

CAP. C.

Pyrates lapidis genus est, à quo æs conflatur. Eligi debet æris similitudine, facile scintillas edens. Uritur sic. Melle irrigatus, molli pruna continuè flatur foliis, donec rufescat. Alii in multos carbonēs igni candentes, lapidem copioso melle perfusum deſciant, & ubi ad fulvum colorem vergere cœperit, extrahunt: efflatoque cinere, rursus madefactum cremant, donec æquabiliter aſſiccat, friabilis reddatur: siquidem sæpe facies summa solum uritur: ita crematus, siccatusque reconditur. Si eloto opus sit, lavari debet, ut cadmia. Tam crudi, quam uſti vis est exaſſare, abſtergere, offuſam oculis caliginem expurgare, duritias concoquere, & concoctas diſcutere. Refina exceptus excreſcentia in carne cohibet, ſed calorem quendam, & adſtrictionem parit. Ita uſtum nonnulli diphryges appellant.

Lapidem, quem Græci Pyriten dicunt, officina cum Mauritaniæ Marchesitam vocant. Verum quanquam uniſerſi lapides, à quibus ignis chalybe excutitur, pyrita appellari poſſunt, cum tamen Marchesita appellatur a cæteris magis ſcintillet chalybe aut ferro percussa, per autonomaſiam ipſa ſola vocatur Pyrites, tanquam cæteris præſtantior. Foditur hæc omnium metallorum ſerè fodinis, genere, & colore diverſa, plerumque, tamen (ut Plinius inquit lib. 36. cap. 19.) aureis ſcintillis, vel argenteis reſperſa. Gignitur, ut rei metallica periti tradunt, ex impuro metallorum halitu: quo ſit, ut ſerè ſemper repereatur in montium cacuminibus, ubi auri, & argenti vena, in profundo deliteſcit. Sterilis hæc magna ex parte, quod (ut chymiſtæ exiſtimant) ex impuriſſimo ſulphure aliisque inconcoctis partibus metallorum ſit conſtata: quamobrem foſſores in Germania, extra cavernas Pyriten tanquam inutilem projiciunt. Veruntamen quandoque Pyriten inveniunt, qui aurum, argentum, vel æs intra ſe continet. Idcirco rectè prodidit Dioscorides, Pyriten lapidis eſſe genus, ex quo æs conſtatur. Quod cum ignoraret Albertus, omnem Marchesitam inutilem eſſe aſſeruit. Pyrites non ſolum in metallorum fodinis reperitur, cum omnibus ſerè lapidibus, & metallis commiſtus: ſed etiam in quibusdam Miſnia fluminibus rotunda facie & cæteris durior. Nos pyritem habemus cryſtallo, berillo, Armenio, caruleo, chalcantio, miſy, chalciti, Minio, auripigmento, & aliis lapidibus adnatum, adeo ut cum foſſilibus omnibus lapidem hunc cognationem habere crediderim. Pyrita vires reddidit Galenus libro 9. ſimplicium medicamentorum, hiſ verbis. Unus eorum, qui validam facultatem poſſident, eſt
 60 & Pyrites quem vocant: quo utimur digerenti emplaſtro admiſto: adjicitur ei & ſchiſtos. Ab hoc medicamine, & puiſa penumero, & coſiſtentia grumosa in ſpaciis intermediis muſculorum nata, per halitum digeſta ſunt. Cæterum ubi inuſum vocantur lapides omnes admodum vehementer contuſi, atque ad lavorem redacti ſint oportet, ſimiliter atque ea, quæ in ophthalmicas facultates admiſcentur. Etenim niſi pollinis inſtar comminuantur, adeo ut in profundum corporum quibus applicantur, ſubeant, aſſimiles manent iſtis marinis, & fluviatilibus arenis, quæ & ipſæ communem omnium lapidum vim poſſident. Siquidem exiccant tumentem ex hydrope carnem, videlicet laborante in eis exaſſaſtis decumbente. Non tamen ad aliud quippiam eis utimur tanquam prædictis, ad ophthalmicas, & ſiſtentes tum ſanguinem, tum muliebrem protium facultates, præterea ad glutinanda ulcera, cicatrice claudenda, carne implenda. Nam qui ex eis acres non ſunt, ad hæc omnes ſunt utiles, velut & acres, quorum poſteriori mentionem faciam, ad detergendum, abſtergendumque
 tum de-

Pyrite
vires ex
Gale-

Nomina. tum detrahendum, extenuandum, detergendum, valenterq; siccandum, & colliquandum. Qui lapis Græcis λίθὸς πυρί-
τος, Latinis lapis Pyrites nominatur: Arabibus, Hager al: five Alrusenai: Italis & Officinis, Marchesita: Germanis, Riß/
und Erstnuoff.

λίθὸς αἱματῖτης.

LAPIS HÆMATITES.

CAP. CI.

Hæmatites optimus habetur friabilis, saturato colore niger, durus, & suapte ingenio æqualis, nulla
forde admista, nulloque zonarum discursu. Vim habet adstringentem, excalfactoriam aliquan-
tum, extenuantemq; Oculorum cicatrices, & scabritiam cum melle purgat: cum lacte autem mulie-
bri, lippitudini, fractis, & oculis cruore suffusis convenit. Bibitur contra difficultatem urinæ, & fluxio-
nes mulierum in vino: & ab iis, qui sanguinem rejecerunt, cum succo punici mali. Fiunt ex eo coticulæ,
& collyria oculorum vitiis apta. Uritur ut Phrygius, sine vino duntaxat. Modus unctionis est, ut modicè
levis fiat, & bullis quibusdam intumescat. Sunt qui hæmatiten ita adulterant. Densam glebam, rotun-
damq; schisti lapidis, cujusmodi sunt, quæ ejus radices vocantur, in urceum figlini operis, qui ferven-
tem cinerem contineat, condunt: paucaq; interjecta mora eximunt, experiunturq; si trita ad cotem hæ-
matitæ colorem reddat: quod si ita res se habet, reponunt: sin minus, iterum obruunt, & subinde con-
spicientes, periculum faciunt: siquidem in cinere diu dimissus, colore mutato diffunditur. Coarguitur
malè confectus, primùm scissilibus venis: quippe in rectos venarum discursus refringitur. At hæmati-
tes longè secus se in colore habet: namq; hic floridum reddit, hæmatites verò saturatiorem, atque cin-
nabarim imitantem. Invenitur in Sinopica rubrica. Fit & è magnete lapide, vehementer ambusto. In
Ægypto sponte naturæ cum metallis enascitur.

Hæmati-
tes lapi-
dis conf.

Hæmatites lapis, quo omnes in universum medica officina abundant, quoq; pictores, & lignarii fabri utuntur, vulgò
vocatur Lapis, legitimus non est, de quo meminerunt Dioscorides, & Galenus. Quippe hic alius est lapis mollis per se
proveniens in montibus, apertis locis. At legitimus fossilus est, & sponte natura nascens in metallorum cuniculis: qui fractus,
sanguinem colore imitatur, unde & nomen, cum Græcis sanguis αἷμα dicatur. Huic persimilis est, quem Schistum vocant,
cujus historiam, & vires statim post hunc scribit Dioscorides ob cognationis vinculum. Foditur hæmatites non modò in
Ægypto, sed in pluribus Germania, & Bohemia montibus, præsertim in Hercynia sylva: quin & in Italia Brixiniensi agro,
sed peregrinis bonitate cedens. Variat tamen huic lapidi color, quoniam & niger, & flavus, & ferruginus instat, quibus-
dam insit, ut peritissimus æquè ac doctissimus Agricola in suis de fossilium natura libris diligenter adnotavit. Hæmatitis fo-
dinas habet in valle Joachimica Regni Bohemia Illustris Comes Joachimus Schlichius, ad eò refert, ut inde optimum
ferrum conficiant: quo fit, ut nil aliud sit Hæmatites lapis, quàm ferri materia. Qui ferrum auro ornant, & contegunt,
id sine hæmatite facere nequeunt. Namq; ea aureas bracteas ferro prius circumdatas firmant & poliunt, perinde ac picto-
res, lupino dente. Hæmatite vires memoria prodidit Gal. lib. 9. simpl. medicamentorum, ubi sic inquit. Porro talium quoq;
unus est hæmatites, quem vocant, à coloris similitudine id appellationis sortitus: sicut & galaëtites, quando & ipse in suc-
cum solutus lactis similis conspicitur. Habet lapis hæmatites tantum frigiditatis, quantum habet adstrictionis. Meritò itaq;
ausi sunt Medici ocularibus facultatibus lapidem miscere hæmatitem. Ac solo eo uti possis palpebris exasperatis: siquidem
cum phlegmone aspera sint redditæ, ex ovo ipsum diluens: ac si magis etiam, per sœni graci decoctum. Sin verò citra phleg-
monem, ex aqua. Incipito verò semper à modicè humidis, per specillum insundens. Ubi autem, quod vires ejus ferat, conspe-
xeris, magis ac magis crassum efficies, ac tandem ad eò crassum facies, ut specilli nucleo inungas, secundum subjectionem,
aut eversionem palpebræ. Hic idem lapis similiter in cote contritus, sanguinis expuitioni convenit, omnib; ulceribus.
Porro siccus, si ad tantum redactus fuerit levorem, ut pulvillum referat, reprimit excrescentia, atq; eo nullus solo ac per
se utitur. Ego verò ad ea quæ dixi, usus sum facultate ejus, ex gustu qualitate comperta, cum mox experientia periculi
tari vellem numquid rectè coniecissim. Et ipsa quidem oculorum ulcera, solus per se cicatrice includit (ut paulò antè com-
prehensum est) attritus, cæterum aut affusus, aut inunctus: nam & id experientia exploratum habeo: hæcenus Gale-
nus. Miris item laudibus extulit hæmatiten lapidem Alexander Trallianus, sic inquit. Ego sanè novi frequenter me sine
theriaca, aliq; pretiosis antidotis multos curasse, lenibus usum medicamentis, & præsertim lapide hæmatite. Usus au-
tem eo sum in his, qui largius sanguinem rejiciebant, cum succo punici mali, & granis, vel cum succo polygonii: in quibus
autem sanguis non copiosè evacuabatur, etiam ex aqua sola egelida. At levigare ipsum curiosè oportet, ut in tenuissimum
pulverem redigatur, sitq; æreus, & vento persimilis. Dedi ego ex eo scrupula quatuor, & paulò amplius minusve. Ex-
hibui etiam is, qui pus expuere inceperant, ac mirum est, quomodo ulcus exiccarit sanaveritq;, ut non amplius pus gene-
raretur, neq; ager tussi infestaretur. Spectavi autem & alium quendam ex his, quibus vas exesum erat, non modò parti-
culas quasdam ex faucibus, sed etiam asperam arteriam expuentem, ac mirum quomodo in hoc quoq; lapis hic maximam
efficaciam indicaverit. Nam & hic curatus est nobis non admodum etiam sperantibus. Exhibui autem agro potui medica-
mentum frequentius, ut commodius distribueretur. Quare cum crebrò ipsum bibisset, tandem sumere ipsum fastidivit. Ex-
cogitavi autem hujusmodi rationem, redactum in tenuissimum pulverem panniculo lineo imposui, & diligenter ipsum
undiquaq; constrictum, colligatumq; in poculo, quod vinum odoratum modicum haberet, suspendere permisi, idq; per to-
tam noctem jam inde ab ipso vespere: extraxi autem tenuem, æreamq; ejus partem, ut ager solam vini qualitatem per-
ciperet. Ex hoc bibere quantum mane libenter habebat, ei præcepi, atq; hoc sanè agendo, bibendoq; continuè, sanitatem
recepit. Hoc autem morbo liberatus, idem præservationis causa facere pergebat, bibebatq;, donec etiam corpore probè per-
mutato, consuetæ agendo viribus se constare sentiret. Hac de lapide hæmatite à me visa, & usu comprobata conscripsi. Ha-
cenus Alexander lib. 7. cap. 1. Hic lapis Græcè λίθὸς αἱματῖτης vocatur: Latine, Lapis hæmatites: Arabicè, Scedenigi, Sa-
denegi, seu Alsadanegi: Italicè, Pietra hæmatite: Germanicè, Blutstein.

Hæmati-
tes vires
ex Al-
andro.

Nomina.

λίθὸς σχιστός.

LAPIS SCHISTUS.

CAP. CII.

Schistos lapis in Iberia Hispaniæ gignitur. Probatum maximè, qui croci colorem æmulatur, friabilis,
suapte natura fissilis, concremento, & alterno cohærentium venarum discursu, peccatum modo, Am-
moniaco falsifimilis. Vim exhibet hæmatitæ, sed ad omnia infirmiorum: quin & cava replet muliebri
lacte